DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
OPHTHALMIA

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GVILIELMO HEINRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, RELIQVA
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA SALANA
SVB PRAESIDIO
HERM. FRIDER. TEICHMEYERI
PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES P. P. O.
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL.
ET ARCHIATRI, ACAD. NATVR. CVRIOS. IMPERIAL. LEOPOLD.
CAROLINAE, ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII
ORDINIS MEDICOR. h. t. DECANI
PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI PIE COLENDI
PRO LICENTIA
IMPETRANDI GRADVM DOCTORIS
SVMMOSQVE IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IOANNES SAMVEL PILLINGIVS
FRANCKENHVSANVS MISNICVS

AD DIEM AVGVST. M DCC XXXII.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

IENAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.

VIRO
PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
AVGVSTO DE GRIESHEIM
DYNASTÆ IN DRACKENDORFF, SERENISSIMO QVONDAM DVCI SAXO-CIZENSI A CONSILIIS AVLICIS ET CAMERALIBVS
ET
VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO
DOMINO
HERMANNO FRIDERICO TEICHMEYERO
PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. P. P. O. SERENISSIMOR. SAX. DVC. VINAR. ET ISENAC. CONSILIAR. AVLIC. ET ARCHIATRO, ACAD. NAT. CVRIOS. IMPER. LEOPOLD. CAROL. ET REG. SOC. BORVSS. SOCIO, GRATIOSÆ FACVLTAT. MED. h. t. DECANO SPECTATISSIMO
PATRONIS ET MODERATORIBVS
FORTVNÆ MEÆ BENIGNISSIMIS
IN SVBMISSÆ ET GRATISSIMÆ MENTIS
TESSERAM
CVM VOTO ARDENTISSIMO
VT
DEVS O. M. OMNIA IN ME COLLATA BENEFICIA
OMNI GENERE FELICITATVM COMPENSARE
VELIT
D. D. D.

AVCTOR.



I. N. D.

PROOEMIVM.



Culus noster, machina illa optica, per artem inimitabilis, ab adorando divino Numine admirando modo constructa, & in suprema corporis parte posita, ut arctissimum commercium cum cerebro, animæ rationalis sede, habeat, & omnia, quæ obveniunt, observare possit, post lapsum proh dolor! præ reliquis corporis partibus multis afficitur morbis. Si enim omnes partes oeconomiæ nostræ animalis percurramus, nulla tot diversisque vexatur malis, quam oculus, quæ vel imbecillitatem, vel plenariam visus abolitionem præstant. Confirmat & quotidiana experientia hoc assertum, & celeberrimi Medici practici, uti Illustris, & nunquam satis & pro dignitate laudandus Dn. Consiliarius aulicus, FRIDERICVS HOFFMANNVS, in Dissertatio-

ne de *Morbis oculorum præcipuis, & recta eorum medendi ratione*, Respondente Redeckero Halæ habita 1728. quique ex instituto de morbis oculorum scripserunt, Dn. CARL DE SAINT YVES, Dn. ANTOINE MAITRE-IAN, Chirurgi Gallici exercitatissimi, in suis scriptis, luculenter ob oculos ponunt. In morborum oculi numero nullus frequentior observatur *ophthalmia*, quippe quæ vel aliorum oculi morborum mater, vel socia deprehenditur. Inter innumera beneficia ab Illustri Domino PRAESIDE, per totum ferme academicæ vitæ meæ cursum, in me collata, gratissimo animo etiam illud refero, quod benignissime concesserit, ægrotos visitare, methodum medendi illius observare, manusque interdum admovere. Cumque sæpe numero oculorum morbi occurrerint, quorum nonnulla exempla in Disputatione adduxi, elegi doctrinam de *Ophthalmia*, ut illam specimis inauguralis loco traderem. Cui labori ut Deus optimus maximus clementi sua gratia adesse velit, devota & submissa eum imploro mente, quo omnia feliciter succedant.

Th. I.

Ophthalmia est inflammatio oculi, ejusque tunicæ adnatæ, imo reliquarum tunicarum, humorum, musculorum, palpebrarum & glandularum, dependens a sangvine, in hisce partibus stasin concipiente, & calorem, ruborem, tumorem, dolorem & suppurationem producente.

Th. II.

Subjectum hujus inflammationis constituunt ipsæ partes affectæ, quæ in definitione allegatæ sunt. Nempe

pe I.) *Tunicæ.* Hæ ab Anatomicis dividuntur a.) in *adnatam*,five *albugineam*, aut *conjunctivam*, quæ eft continuatio pericranii, conjungit oculum cum orbita & palpebris, albumque fic dictum oculi conftituit. Copiofisfimis repleta eft vafculis fangviferis, quæ etiam in nonnullorum oculis, ftatu fano præfente, clare videri, & diftinctæ obfervari poffunt. b.) *Tendineam*,quæ oritur a tendinibus mufculorum, bulbum oculi moventium. c.) *Corneam*, quæ eft tunica pellucida, convexa,& in varias laminas divifibilis, ex vafculis nevrolymphaticis pellucidis conftans. d.) *Scleroticam.* Hæc eft tunica fatis valida, a dura matre orta; nervum opticum undique cingens, in qua reperiuntur fontes *Hovii*, olim ductus aquofi *Nuckii* dicti. A parte poftica opaca deprehenditur, a parte vero anteriori corneam pellucidam tunicam conftituit. e.) *Choroideam.* Eft hæc tunica fupra fcleroticam fita, multisque vafculis fangviferis repleta, & nigro calore imbuta. f.) *Vafculofam Ruyfchianam*, quæ lamellam interiorem tunicæ choroideæ, vafculis copiofis fanguiferis refertam, conftituit. g.) *Lucidam Hannemannianam*, quæ in nonnullorum hominum & animalium oculis reperitur, & in tenebris lucet. h.) *Vveam*, quæ ex variis vaforum & fibrarum motriciúm ordinibus componitur. In hujus medio apparet foramen, pupilla dicta, quod dilatari & conftringi poteft, cum iride & ligamento ciliari. i.) *Hyaloideam*, quæ eft tunica exterior, reliquas humoris vitrei includens tunicas. k.) *Arachnoideam*, quæ eft tunica fubtilis, manifefte extus cryftallinum circumdans humorem. l.) *Retinam*, quæ eft tunicaquafi mucofa, & nihil aliud, quam ipfe nervus opticus ex-

panfus. II.) *Humores.* Quid humores oculorum fint, difputant Anatomici. Secundum Hovianam fententiam humor vitreus & cryftallinus componuntur ex variis tunicis atque lamellis. Lamellæ vero ipfæ nihil aliud conftituunt, quam congeriem vaforum nevro-lymphaticorum fubtilisfimorum & pellucidorum, in quibus fluidum fubtilisfimum atque pellucidum conftanter movetur. Celeberrimus, & nunquam fine veneratione laudandus HEISTERVS, in fuo *Compendio anatomico*, pag. 284. quidem putat, quod HOVIVS excogitaverit novum nomen vaforum nevro-lymphaticorum. Sed HOVIVS auctor non eft. Hæc vafa enim nova detecta funt ab incomparabili Monspelienfium Medico, RAYMVNDO VIEVSSENIO, in fuo *Novo vaforum corporis humani Syftemate*, edito Amftelædami 1705. Qui fere ubique de lymphatico-nerveis vafculis loquitur. HOVII vero Tractatus de *Circulari motu humorum in oculis*, cum apologetica epiftola ad celeberrimum RVYSCHIVM, prodiit Lugduni Batavorum 1716. Hæc vafa fubtilisfima pellucida ab inflammatione fane non funt immunia, quoniam cohærent cum arteriolis minimis, quorum productiones funt. Etfi chylofitas hæc vafcula intrare poteft, eorumque pelluciditatem obfcurare; credibile quoque eft, quod in hifce vafculis, inprimis circa origines eorum, fieri posfint inflammationes. Et quod actu fiant horum organorum inflammationes & fuppurationes, exinde concludere licet, 1.) quia datur ophthalmia ferina, in qua tota oculi fubftantia inflammata, fuppuratur. 2.) Quoniam in cornea tunica inflammationes & fuppurationes evidenter contingunt, quod pus, in cornea collectum, dum effluit, finum & cavitatem in

cor-

cornea relinquit, id quod in praxi Illuſt. Dn. PRAESIDᴇ aliquoties manifeſte obſervavi. Cum itaque cornea pellucida haud ſecus ac ipſi humores, vitreus nempe & cryſtallinus, compoſita ſit ex vaſculis nevro-lymphaticis, dubium non eſt, quin in humoribus, eorumque vaſculis pellucidis, ſimilis fieri posſit inflammatio & ſuppuratio. Confirmat hoc aſſertum Celeberrimum Academiæ Lugd. Batavorum decus, BOERHAAVIVS, in *Inſtitutionibus medicis*, pag. m. 392. §. 842. ubi inquit: *Verum etiam fit, ut lens cryſtallina opaca, inflammata, ſuppurata, hydropica, corrupta, atrophica facta producat glaucoma, cataractam, viſum hebetem, cœcitatem opacam* ἀμβλυωπίαν, &c. Cæterum ea vaſa, quæ a VIEVSSENIO lymphatico-nervea, & ab HOVIO nevro-lymphatica nominantur, a RVYSCHIO arteriæ feroſæ, vel lymphaticæ, appellantur. III.) *Muſculi*, bulbum oculi commoventes, quorum ſex numerantur; attollens nempe, deprimens, adducens, abducens, obliquus ſuperior, qui cum ſupra trochleam cartilaginoſam moveatur, trochlearis appellatur, & obliquus inferior. IV.) *Palpebræ*, ſuperior nempe & inferior, ſunt organa membranacea, vaſculoſa, muſculoſa, bulbum oculi munientia, in harum interna ſuperficie reperiuntur *vaſa Meibomiana*, & ductus, quibus mediantibus lacrymæ, in glandula innominata ſecretæ, derivantur ad interſtitia bulbi & palpebrarum. Muſculi palpebrarum, ſecundum Celeberrimos Anatomicos, SANTORINVM, in *Obſervationibus anatomicis*, & VVALTHERVM, in *Anatomia repetita*, ſunt ſeptem; ſex nempe orbiculares, & unus, palpebram ſuperiorem attollens. Ad orbiculares referuntur ſuprafrontales, ſuperior, & inferior, duo ſemicirculares inferiores, duo

pal-

palpebrarum proprii, ſive clauſores, & denique muſculus palpebrarum internus, in orbitam oculi currens, palpebramque aperiens, ſive attollens. V.) *Glandulæ* ſunt duæ; nempe innominata conglomerata, in ſuperiori orbitæ parte ſita, & minor, in angulo domeſtico conſpicua, quæ humorem illum, bulbum oculi lubricantem, quemque, ſi tanta in copia ſecretus, ut fiat conſpicuus, lacrymas vocamus, ſecernunt. Deprehenduntur etiam circa limbum cartilaginoſum glandulæ ciliares, ab inventore Meibomianæ, (vid. ejus *Epiſtolam ad Langellottum de Vaſis palpebrarum novis. Helmſtadii. 1664.*) a Celeberrimo Anatomico, MORGAGNI (qui jam citatam epiſtolam, ob raritatem, impetrare non potuit, uti ipſe fatetur,) ſebaceæ vocatæ, & ab hoc expoſitæ & delineatæ in *Adverſariis anatomicis*, Adverſar. I. pag. 9. Tab. IV. fig. l. c. d. quæ humore ſuo margines inungunt, quique humor conglutinat palpebras in morbis oculorum. De hiſce glandulis ita Celeberrimus BOERHAAVIVS, in *Inſtitutionibus medic.* pag. 233. § 511. loquitur: *Ne autem colliſu aſſiduo nictantes palpebræ excorientur, in limbo cartilaginoſo utriusque glandulæ granuloſæ, ſubflavæ, humorem quaſi ex adipe & cera miſtis conficientes, & oſculis apertis eructantes, hoc ipſo margines inungentes, adſunt; ſunt hæc oſcula fines canaliculorum, ſerpentino reptatu hic locatorum, qui oriuntur continuati cum arteriolis, hic diſtributis, absque fabrica glanduloſa.* His merito glandulas minimas in interna palpebrarum ſuperficie ſitas, annumeramus. Quæ an glandulæ veræ ſint, an ſpuriæ? hic non dijudicabimus. Sufficit, quod praxis medica eorum exiſtentiam ad oculum oſtendat. Etenim in his organis inflammationes & ſuppurationes, ſive puſtulæ, generantur.

Th. III.

Th. III.

Omnes hæ partes ſimul inflammationem ſubire poſſunt, quia vaſa ſanguifera communia habent,& inſuper nexus eſt glandularum cum palpebris, palpebrarum cum tunica adnata, hujus cum reliquis tunicis, humoribus, muſculis, & nervo ipſo optico. Inflammata itaque aliqua harum partium area, reliquæ facile per conſenſum eodem malo affici poſſunt & ſolent. Præprimis autem inflammatur tunica adnata, quæ primaria ſedes ophthalmiæ eſt, quia, cum alba ſit, vaſa ſanguifera, particulariter fortasſis conformata, posſidet, quæ modo recipiunt globulos ſanguinis minimos,qui,ſecundum ſententiam Levvenhoekii, albicantes ſunt. Præterea hæc tunica præ reliquis aeri liberiori eſt expoſita. Ideo in hoc loco facile humorum coagulatio & ſtagnatio, vaſorum conſtrictio & coarctatio contingit. Adeſt etiam lacrymalis humor, qui ſi acris, vim ſuam hic exercet, & læſiones externæ noxam huic tunicæ inſuper facile inferunt.

Th. IV.

Defertur ſanguis ad oculi partes internas per caroticam arteriam internam, quæ cerebrum ingreſſa, duobus ramulis cingit nervum opticum,conſtituentibus ſimul *ſyſtema Hovianum*, & ejus *rete*, quod delineatum extat in Tab. I. ejus Tractat. Hoc quoque in theatro publico anatomico egregie demonſtravit Ill. Dn. PRAESES. Ex his arteriis in interna oculi parte exeunt & originem ducunt vaſa illa, nevrolymphatica dicta, quænutriunt & conſtituunt humorem aqueum, vitreum & cryſtallinum. Externæ partes accipiunt ſanguinem ab arteria carotica externa. Sanguis

guis autem revehitur a venis jugularibus, tam internis, quam externis, ad venam cavam, ab hac ad cor. Adſunt etiam copioſi nervi; utoptici, oculorum motorii, pathetici & timidi, partim pro viſu, partim etiam pro motu oculi & faciei deſtinati, quo pertinet *pes anſerinus*, ſive diſtributio illa nervorum, ab oculo ad malas tendentium. Vide EVSTACHII Tab. anat. 19. ideo non mirum quod a leviſſima cauſa hic ſenſatio triſtis obſervetur.

Th. V.

Inflammatio autem fit in vaſculis arterioſis minimis dictarum partium, ubi ſi ſtaſin concepit ſanguis, calorem, ruborem, dolorem, tumorem, & tandem, ſi non reſolvitur & diſcutitur, ſuppurationem producit. Hæc autem omnia majori gradu adſunt, ſi ſanguis copioſis repletus eſt particulis, bilioſis dictis, hoc eſt, ſalinis ſulphureisque, in ſe invicem agentibus. Quod ſi autem talis conditio ſanguinis non adſit, & tamen contngat inflammatio quædam vel a ſero viſcido, acido & acri, vel a læſionibus, externe factis, tunc ſequitur inflammatio in minori & mitiori gradu.

Th. VI.

Stagnante ſanguine, præſertim activiori, evolvuntur particulæ ſalinæ, lympha ſubtilis, has alias temperans & includens, ſecedit; unde ſalinæ illæ agunt in partes ſulphureas, ideoque fit quaſi fermentificus motus, a quo *calor* iſte præternaturalis producitur. Sangvis, in fluxu impeditus, novo tamen ſemper, vi cordis & arteriarum, appulſo, neceſſario alia, & majora quærit ſpatia. Diſtendit ideo vaſa, inprimis in tunica albuginea, ut etiam in apricum veniant ea, quæ alias ibi non erant conſpicua.

Pro-

Propellitur quoque in illa vaſa nevrolymphatica, lymphatico-nervea, arteriæ ſeroſæ, vel lymphaticæ, dicta, quæ antea non ſangvinem, ſed pellucidam vehebant lympham. Ideo in his partibus albicantibus & pellucidis *rubedo* apparet. Cum ſangvis accumuletur in vaſculis, fibræ illorum diſtenduntur & elevantur, *tumor* neceſſario conſurgit. Majori vi & cum impetu expanſione & diſtenſione fibrarum, vaſa & tunicas formantium, facta, ad rupturam inclinant fibræ, triſtem ſenſationem, ſive *dolorem*, cauſant. Quem etiam producunt & augent aculei ſalini, in fibras, pungendo, rodendo, &c. libere agentes. Sangvis collectus, ſtagnans, reſolutus, corruptus, calore & quiete putreſcit leviter, mutatur in materiam purulentam: Quæ ſi non educitur, fiunt tumores in glandulis duri, indolentes, ſcirrhi vocati; aut fit acrior, ichoroſa, rodens, ſolida deſtruens, haud raro gangrænam inducens.

Th. VII.

Cauſa immediata, ſive proxima, inter quam & morbum ipſum nulla alia intercedit, hujus inflammationis eſt *ſtaſis ſangvinis.* Hæc autem producitur a cauſa mediata proximiori, nempe vel vitio humorum, tum ſangvinis, tum ſeri, vel culpa viarum, vel vaſorum, humores in ſe continentium.

Th. VIII.

Culpa ſangvinis ipſius hoc fit, 1.) ſi intemperie, uti vocant, calida, vel bilioſa, laborat, reſolutus rarefactusque, majori præſertim in copia, defertur ad vaſa, ſupra allegata, expandit & diſtendit nimis vaſcula: Amittunt ideo vim, quam alias exercere poterant in fluida, ea propellendo, quo facto, ſangvis, a tergo

ſequens & accedens novus, tranſitum liberum invenire nequit, quare ſtaſin ſuſcipit, & inflammationem producit. 2.) Si ſangvis nimis craſſus & viſcoſus eſt, ita, ut particulæ, illum conſtituentes, majorem habeant cohæſionem inter ſe, & globulus, per vaſa tranſiens, non reſpondeat horum capacitati, neceſſario ſequitur obſtructio, & evolutis particulis ſalino-ſulphureis, inflammatio. 3.) Si ſangvis acris ſit, aciculi ſalini agunt in fibras, & contractionem vaſorum promovent, qua præſente ſangvis progredi non poteſt. Ergo ſubſiſtit, & inflammationibus anſam præbet.

Th. IX.

Seri vitio hoc malum fieri ſolet, 1.) ſi in genere nimis viſcoſum eſt, debitamque fluxilitatem ſangvini non conciliat, ſed potius ad coagula & ſtaſin diſponit. Secreta autem hujus ſeri pars a glandulis lacrymalibus, minus fluxilis, a poris lacrymalibus commode abſorberi non poteſt, colligitur inter palpebras & bulbum, premit vaſa ſangvifera, circulumque liberum ſangvinis turbat. 2.) Si nimiam poſſidet acrimoniam, agit irritando, ſtimulando fibras vaſorum, contractionem horum promovet, obſtructionem inducit, & ſymbolum ſuum ad promovendas inflammationes præbet. Nec excludendæ ſunt lacrymæ nimis acres, quod confirmat Celeberrimus D. D. SCHREIBERVS in *Meditat. Philoſophico. Med.* de *Lacrumis & Fletu.* Lipſ. 1729 p. 35. §. 123. *A lacrumis exacerbeſcentibus eroſiones inflammatoriæ.* Acre *quodcunque, vaſi impactum, illud ſtimulando inflammat. Idem fiet a lacrumarum acrimonia, quæ ſenſilisſimas palpebras, aliaque loca, mox igne ſuffundent.*

Th. X.

Th. X.

Viarum culpa obſtructio, & ſubſequens inflammatio fit 1.) ſi vaſa ſunt nimis anguſtata, rigida & compreſſa, ut liquidum tranſiens libere permeare non poſſit. 2.) Si nimis debiles ſunt, debitumque tonum naturalem non poſſident, uno verbo, ſi atonia laborant, humores, præſertim magna vi huc appulſos, propellere non poſſunt. Contingit ideo ſtaſis. Lympha tamen, ſangvine ſubtilior, ſeceſſum facit, ſalia remanent, agunt in particulas ſulphureas quæ easque evolvunt, & ſic inflammationem præſtant.

Th. XI.

Læſiones externæ obſtructiones & inflammationes cauſant, ad quas referri poſſunt 1.) acria, oculi partibus applicata; liquores, acrioribus ſalinis imprægnati particulis. 2.) Pulveres ſalini, vitriolici, aluminoſi, calcis vivæ, cinerum, &c. 3.) Fruſtula metallica, vitri, arenæ, & aliorum corporum, quæ agunt morſicando, adſtringendo, coagulando, pungendo, premendo, ophthalmiam facile producunt, vel jam præſentem augent.

Th. XII.

Vulneribus, his partibus inflictis, ſubvenire ſolet inflammatio. Diviſa enim & dilacerata vaſcula ſanguifera contrahuntur. Sangvis quidem adfluit, ſed refluere non poteſt. Cumulatur itaque, & ſtaſin concipit ſangvis, inflammationem poſt ſe trahit, mutatur in purulentam materiam, niſi ejusdem fiat decens reſolutio.

Th. XIII.

Contuſiones prægreſſæ dictum malum inferunt,

quatenus fit extravaſatio, & ſtaſis ſanguinis. Quales graviores contuſiones tum palpebrarum, tum tunicæ adnatæ ipſius, & corneæ, in certamine digladiatorio inductas, cum ſubſecutis inflammationibus, aliquoties vidi, & illis medelam adhibere occaſionem habui.

Th. XIV.

Cauſæ mediatæ remotiores ſunt, quæ, præſente jam diſpoſitione in partibus allegatis, ſtaſi & inflammationi anſam præbent, inſimulque præſenti ophthalmiæ incrementum & augmentum ſuppeditant. Sunt autem hæ vel naturales, vel nonnaturales, vel præternaturales.

Th. XV.

Ex naturalibus rebus ſunt 1.) *temperamentum bilioſum*, ubi particulæ ſalino, ſulphureæ prædominantes, efficiunt ophthalmiam veram. Pituitoſum, ob ſerum viſcidum, lentum, ophthalmiam ſeroſam, ſive ſpuriam dictam, producit. Nequaquam vero alia temperamenta ſunt excludenda, quia accedente notabili cauſa etiam hoc malo vexantur. 2.) *Aetas vegeta*, cum in hac plerumque particulæ ſalino-ſulphureæ emineant, & ſeroſæ temperantes deficiant, ob quas conditiones ad febres diſpoſita, facile huic malo eſt obnoxia. *Minor ætas* ophthalmiis ſubjecta eſt, quia ſemper copioſum ſerum conjunctum habet, quod autem facile intemperatum redditur, ſi nutrix non ſit bonæ conſtitutionis, vel ſi diætæ regulæ, ut ſæpe fieri ſolet, non obſerventur, vel ſi variolæ hunc morbum relinquant, unde frequentes ophthalmiæ in infantibus & pueris obſervantur. Cum in *ſenibus* humores fiant crasſiores, ſpisſiores, & acriores, vaſa ſolideſcant & rigida fiant, ob has conditiones proclives ſunt ad ophthalmiam ſpuriam, & lippi-

tudi-

tudinem. 3.) *Sexus uterque* hoc morbo affligitur. Quia autem ſequior frequenter, & levisſima data cauſa atque occaſione, lacrymas fundit, ideo partim a frictione conſtanti, & abſterſione facta, majori in copia ſeparantur lacrymæ, quam puncta lacrymalia abſorbere, & ad nares ducere valent, partim quoque ab irritatione malum hoc invitatur. 4.) *Diſpoſitio hæreditaria* etiam in cauſa eſt, quia morbi, in viſcido & acri hærentes, facile communicantur tenellis fœtus ſtaminibus, & ophthalmia affecti parentes eam in liberos propagant, niſi propria diſpoſitio in liberis reſiſtat, aut alia per medicamenta procuretur.

Th. XVI.

Ex nonnaturalibus hoc malum proferre, & producto majora præbere incrementa poſſunt 1.) *aer nimis fervidus & æſtuans*, ut in toto corpore ſerum difflat, ita & in oculo humidum disſipat, lacrymæ fiunt acriores & ſpisſiores, oculus non blande lubricatur & humectatur, ſed potius obſtructio & inflammatio producitur. *Aer nimis frigidus* conſtringit fibras ſolidas vaſorum, & tranſitum humorum impedit, coagulat quoque humores, & obſtructionem atque inflammationem efficit. Si *aer nimis humidus ſit*, quia ſeceſſus partium ſeroſarum ſuperfluarum commode fieri non poteſt, relinquntur in corpore, & occaſionem præbent ophthalmiis ſpuriis. Maximum autem damnum infert *aer inæqualis*, id eſt, ſubita ejusdem mutatio, vel ex frigido in calidum, vel ex calido in frigidum. In aëre frigido humores magis ſunt ſpiſſi, accedente calore præſertim vehementiori, & uno quaſi impetu reſolvuntur, ſubtiliores ſecedunt & excernuntur, craſſiores autem & acriores hu-

humorum partes in corpore remanent. In aere calidiore massa sangvinea magis est resoluta, fiuntque copiosæ se-& excretiones, subito accedente frigore, subsistunt particulæ secernendæ. Contingunt ideo ex duplici mutatione subitanea obstructiones & inflammationes. *Aere ventoso, nebuloso, variis nocivis exhalationibus, fumisque acrioribus repleto, existente*, corpora peregrina, tunicis, & partibus nervosis his ingrata, adducuntur, ubi partim a vehementi commotione, partim a frictione & irritatione ophthalmiæ producuntur. Omnia *alimenta*, etiam alias bonæ notæ, nimia tamen assumta copia, quam ut digeri, dilui & resolvi possint, laudabilem chylum, & temperatum sangvinem non præbent. Eoque magis hoc fiet, si sint nimis acria, viscositate pollentia, vel in aere siccata, vel in fumo indurata, minus resolubilia. Vt & cibi, copioso sale volatili alcalico repleti, ut allium, cepæ, porrum, raphanus rusticanus, &c. facile in dispositis hunc morbum præstant. In juvene, qui per tempus aliquod victu calidiore, inprimis carne búbula, cepis, vel raphano marino, vel aromatibus, condita, delectatus, insuperque biberat vinum, satis generosum, observavit ophthalmiam, & totum casum communicavit Celeberrimus Profess. & Practicus Lipsiensis, D. D. MICHAELIS, in *Operibus Medico-Chirurgicis*, pag. m. 413. & seq. *Potus nimis spirituosus, copiose assumtus*, non temperat massam sanguineam, sed auget acrimoniam, &, difflando serum, viscosam illam reddit. Si potus sufficiens deficit, humores fiunt acriores, & crassiores *Motus corporis nimius*, exagitans nimis massam sangvineam, separat nimis serum, quod si non restituitur, salia explicantur, &, a defectu seri, spissitudo relinquitur.

tur. *Defectus motus*, se- & excretiones impediendo, intemperatam reddit massam sangvineam. Huc pertinet quoque somnus nimius. *Vigiliæ nimiæ* & excedentes debilitant & depauperant spiritus animales, lymphæ secessum, & activitatem salium producunt. *Animi pathemata*, aut nimium expandendo & commovendo, aut concentrando & coagulando, motus humorum in oculis invertunt. Cum vita & sanitas nostra inter alia consistat in se-& excretionibus, rite institutis, facile dijudicari potest, quantum damnum consurgat, si illæ non debito & legitimo modo absolvantur. *Transpiratione insensibili impedita*, remanent partes acriores, fit intemperies, ab hac variæ obstructiones & inflammationes, quod etiam de aliis evacuationibus, solennibus haemorrhoidum, mensium, &c. valet. Huc quoque spectant excretiones nimiæ, quæ, secessu nimio spirituum, & seri blandi, intemperatam relinquunt massam sangvineam. De venere immodica hoc malum quosdam annotasse, nec experientiam deesse, confirmat Illustris, nunc B. WEDELIUS, in Dissertat. de *Ophthalmia*, pag. 10. §. 18.

Th. XVII.

Ex præternaturalibus rebus omnes morbi ab intemperie sanguinis calida biliosa, acri, ut omnes febres acutæ, malignæ, erysipelas, dysenteria, &c. vel etiam illi morbi, ubi viscositas, & acrimonia deprehenditur, materiam ophthalmiis suppeditant. Inprimis *scorbutus* hoc malum fovet & alit, quia in scorbuto semper principium salinum, lympham reddens putrilaginosam, præsens est, &, cum totam massam humorum inquinet, ophthalmiæ frequentes in scor-

buticis obſervantur. Vidimus nuper in ſubjecto quodam ſcorbutico ophthalmiam graviorem. Ambo oculi erant hoc malo affecti. Tota albuginea, & tota ferme cornea erant rubræ, & ſangvine repletæ. In cornea circa marginem, & albuginea, erant tubercula, & ulcuſcula quædam, lumenque perferre non poterat æger. Adhibitis autem debitis medicaminibus, Deo auxiliante, reſtitutus eſt. *Lues venerea*, cum in hac viſcidum, cui acidum, magis, vel minus roſivum, immerſum, ſecundum Illuſtrem, & Facultatis medicæ ſumme venerabilem Seniorem, IOANNEM ADOLPHVM WEDELIVM, in Diſſertatione de *Lue venerea*, pag. 4. §. 2. deprehenditur, conjunctam ſæpe numero habet ophthalmiam. Excitantur enim a vehementi venerea malignitate hinc inde in partibus obſtructiones, & inflammationes. Ideo non mirum, quod etiam oculus ejusmodi labem contrahat. Datur quoque ægilops, & fiſtula lacrymalis venerea, quos morbos vidit plus vice ſimplici Illuſt. Dn. PRAESES, & aliquoties in morbis venereis, gonorrhæa graviori, tumore, & inflammatione teſtium, variola magna, &c. obſervavi ophthalmiam, quæ tamen extincta venerea malignitate, & adhibitis debitis medicamentis externis, feliciter ſublata quoque eſt. In *variolis* malignitas, hunc morbum efficiens, defertur ad tunicam albugineam, & corneam, ibique excitantur variolæ, quæ ſæpe totam tunicam inflammant. Præterea in variolis humor viſcidus, a glandulis ſecretus, palpebras occludit, ut ſponte aperiri oculus non poſſit, qui humor ſtagnans corrumpitur, acrimonia vellicat, & inflammat. In *affectibus catarrhalibus*, coryza, &c. materia acris ſecernitur in tu-

nica

nica narium pituitaria,& tunica glandulosa asperæ arteriæ, quod si etiam in glandulis lacrymalibus contingat, oculus non blande lubricatur, ideo acrimonia stricturam tunicarum, & palpebrarum, insimulque inflammationem excitat. Tussis gravior,& vomitus crebrior, vehementiorque, magna vi sangvinem versus caput, & ad oculos premunt, ubi in vasculis subtilissimis facile subsistit. *Erysipelas faciei* cum sit morbus inflammatorius per consensum, sæpe afficit oculum. Id quod nuper observavimus: Quidam enim laborabat erysipelate faciei, tota fere facies erat cum naso inprimis tumefacta, & inflammata, una cum palpebris, & tunica adnata. Aderat febris, dolor capitis, somnus, per aliquot dies denegatus, appetitusque prostratus. In usum vocatis debitis medicamentis, & sudore, & hæmorrhagia narium critica supervenientibus, Dei auxilio, perfecte convaluit æger, separata in tota facie cuticula. *A dysenteria* propemodum fatalem observavit ophthalmiam Ill. & B. WEDELIVS. Vid. l. c. p. 12. Per *contagium* hoc malum propagatur, si gravis adsit acrimonia, & effluvia ex oculis affectis calide in conversatione deriventur in oculos sanos; ut eodem modo inflammentur.

Th. XVIII.

Ophthalmia dividitur 1. ratione loci in *internam* & *externam*. In *externa* palpebræ, glandulæ, tunica adnata, & cornea, vel conjunctim, vel separatim, inflammantur. In *interna* inflammationem subeunt internæ oculi partes, ut tunicæ, musculi, & humores. 2.) Ophthalmia est vel *vera*, sive *exquisita*, vel *spuria*, sive *notha*. In vera requisita veræ inflammationis ad-

ſunt a ſangvinis intemperie, magis activioris. In ſpuria, ſive notha, tantummodo aliquis rubor, dolor, & pruritus percipitur. Seroſa etiam vocatur, ob ſerum acre, copioſe in glandulis lacrymalibus ſecretum, & exſtillans. Appellatur quoque *Epiphora*, ſive lippitudo. Vid. THEODOR. ZWINGERI *Theatr. Prax. med.* Baſil. 1710. edit. pag. 281. *Epiphora*, ſecundum Ill. HOFFMANNVM, l. c. pag. 10. *eſt perpetua ſalſæ & acris aquæ effluxio, ita tamen, ut plerumque pruritus, & dolor moleſtus, cum oculorum, & palpebrarum tumore, gravius ægrum detineat, quando vero effluens humor, acrimonia eminenti deſtitutus, oculum nec dolore, nec rubore afficiat, ſed tantum illacrymatione moleſtus ſit, adeoque mitiorem faciat lippitudinem. Ab intercepto ſangvinis per glandulas in venas regreſſu originem duxit.* 3.) Ratione gradus eſt α.) ταράξισ leviſſima inflammatio oculi, cum rubore, calore, & dolore, a cauſa quadam externa, cum affluxu lymphæ. β.) *Ophthalmia, proprie ſic dicta*, ubi calor, rubor, dolor, tumor & ſuppurandi potentia deprehenditur. Hæc eſt vel humida, ſi lacrymæ copioſe effluunt, vel ſicca, quando bulbus ſiccus eſt. γ.) χήμωσισ, ſi talis facta inflammatio, ut tumor tunicæ adnatæ ſupra corneam emineat, palpebræque quaſi inverſæ vix claudi poſſunt. δ.) Ophthalmia ferina, quæ eſt graviſſimus gradus, ubi plerumque dolor capitis, & omnia ſymptomata majori & graviori gradu adſunt. Dependet interdum ab inflammatione, in cerebro nata. Si centraliter, totusque bulbus eſt infimmatus, fit ſuppuratio, & oculus perit. Si ab hac inflammatione per conſenſum afficiuntur tunicæ cerebri, fit phrenitis, ut plurimum lethali cum eventu. Conſ. B. WEDELIVS, in

Exer-

Exercit. Semiot. pathol. pag. 42. & Diſput. alleg. §. 24. ETTMVLLERVS, Tom. II. Part. I. p. 588. & ſeq. & Mr. ANTOINE, Tr. von Augen-Kranckheiten, ex lingva Gallica in noſtram translatum a D. Timme, Brem. 1731. pag. 532. Cap. 12. Illuſtris HOFFMANNVS, in Differt. ſupra citata, pag. 7. §. 11. dividit ophthalmiam in leviorem, graviorem, & gravisſimam. Levior tantum tunicæ adnatæ inſidet. Gravior, præter adnatam, palpebras, totumque oculum exquiſito dolore & ardore afficit. Gravisſima ophthalmia eſt, quæ profundior ad ima oculi, & interiores tunicas, penetrat.

Th. XIX.

Signa diagnoſtica facile demonſtrant hunc affectum. Adeſt enim rubor, calor, tumor, dolor, qui variant pro gradu inflammationis. Viſus eſt debilitatus, radiosque luminis ſæpe vix perferre poteſt oculus affectus. In ferina interdum adnata, & cornea protuberant, oculus eſt rigidus, & vix moveri poteſt, ob muſculos, & bulbum, ſimul affectos, interdum, ſi ab inflammatione meningum dependet, externe nil in oculo conſpicitur. Quando ſangvis eſt effuſus in vaſa nevro-lymphatica, vel ex dilaceratis vaſculis effluxit in humores, tunc objecta videntur rubra.

Th. XX.

Prognoſis variat 1) ratione *vitæ & mortis*. Vbi notandum, quod inflammatio ſi externa ſit, & reſolutio impetrari posſit, mortem non inferat. Gravior autem ſi expediri non poſſit, & ſuppuratio ſubſequatur, oculus deſtruitur. In ferina, gangræna accedente, non ſolum oculus perit, ſed æger etiam vitam cum morte commutat. Notha adeo periculoſa plerumque

non eſt, interim tamen chronica, & recurrens fieri ſolet, niſi cauſa perfecte ſublata ſit. Quo major & gravior læſio externa induxit ophthalmiam, eo magis, vel minus, malum erit curandum, viſusque conſervaudus. 2. *Temporis eventus.* Leviori præſente inflammationis gradu citior fit reſtitutio. Gravisſimus, propter centralem inflammationem, & conjunctam gangrænam, celeriter mortem inducit. 3.) *Medii eventus* eſt vel ad ſalutem, vel ad mortem. Vnica ſalus hic conſiſtit in reſolutione & diſcusſione humorum, hic ſtagnantium. Suppuratio, quantum posſibile, eſt declinanda. Nam, ſi major, deſtructio oculi metuenda. Levior quidem & ſuperficialis puſtularum in tunicis externis, palpebris, & glandulis, facta ſuppuratio non adeo periculoſa: Interim tamen præſtat, cito materiam educere, & ulteriorem impedire ſuppurationem. Si autem hoc fieri nequit, ſaltim partes adjacentes probe defendendæ.

Th. XXI.

Curatio ophthalmiæ ita inſtituenda, ut ſtaſis ſanguinis expediatur. Hoc fit 1.) ſi ſanguis adſit majori in copia, cum ebullitione, febre, reliquisque ſymptomatibus gravioribus, inſtitui poteſt venae ſectio, eoque magis illam adminiſtrare poſſumus, ſi aliæ viæ, per quas ſanguis ordinarium effluxum habere debet, ſunt obſtructæ. Vires autem ſemper attendendæ ſunt. Ideo præſtat ſtatim in principio venam ſecare, vel in brachio, vel in pede. In grandiori & profundiori inflammatione, ubi periculum eſt, ne interiora in ſuppurationem tranſeant, præterea corpus juvenile, & ſanguineum, malumque forte ab externa violentia inductum,

e re

e re eſt, ut venæ ſectio repetita celebretur, aut larga manu ſubtrahatur ſangvis, & hoc quidem omnium optime per ſectam jugularem. Quo certe in revellendis a capite ſangvine, aliisque humoribus, nihil eſſe efficacius, adduxit Ill. HOFFMANNVS, l. c. p. 9. §. V. Adhiberi etiam poſſunt cucurbitulæ ſcarificatæ circa aures, in brachio, & dorſo, ſerum autem peccans educendum per veſicatoria, in nucha, vel pone aures applicata, immo fonticuli, & ſetacea in uſum vocanda. Huc pertinet ſcarificatio oculorum, de qua vid. erudit. Diſſert. Celeberrimi Dn. Prof. Lipſ. PLATNERI 1728 habit: Ophthalmiam diuturnam a cruſta lactea, illitu oleo amygdalorum dulci, cum flore lactis mixto, retropulſa fonticulum denique nulla re juvante cum effectu curaſſe, exhibet Celeberrimus Medicus Practicus, LENTILIVS, in *Eteodromo Medico Practico anni* 1709 pag. 659. Sangvis, & ſerum, acrimonia & viſcoſitate peccans, in culpa ſi eſt, commendant ſe 1) *diaphoretica* blanda, & *bezoardica* mitiora, quæ reſolvunt, per inſenſibilem transſpirationem ſeparant, & vi ſua balſamica putredini reſiſtunt. Talia ſunt Tinctura bezoardica eſſent. B. Wedelii, aliorumque, Eſſ. alexiphar. Stahlii, ſerpentar. virgin. & balſamic. Dn. Præſ. baſamic. Slevogt. myrrh. ſuccin. lignorum, liquores anodyni minerales. Celeberrimus SENNERTVS in curatione peſtilentiæ laudat ſpiritum vitrioli. Verba ejus, pag. 471. ita ſe habent: *Inprimis vero commendatur ſpiritus vitrioli, qui inſignem vim habet putredini reſiſtendi, obſtructiones aperiendi, febresque extingvendi.* Sed iſta certe de liquore anodyno minerali, Naphta Chemicorum dicta, affirmari poſſunt. Nam in hoc liquore acidum corroſivum, facile nocivum, ſeparatum eſt, & tantummodo partes ſubtiliores ſpirituo-

ſæ

ſæ mercuriales ſulphureæ inibi deprehenduntur, quæ dicta efficiunt. Pulveres bezoardici, uti ſunt Anglicanus, Sennerti, Wedelii major & minor, Dn. Præſid. antimonium diaphoret. bezoardic. mineral. rite præparatum, C. C. Ebur philoſoph. ppt. corall. rubr. & alb. perl. mater perlar. lap. cancror. teſt. ovor. unicorn. verum, mandib. luc. piſcis, ſuccinum, pulveres epileptici, ut Marchion. ſpecificum cephalic. Michael. quibus calore præſente addi debent nitrata, ut nitrum depuratum, antimoniatum, & ſulphuratum. 2.) *Aperientia, abſorbentia & evacuantia.* Aperiunt optime commendata bezoardica, hisque adjungenda martialia, ut Tinctura martis temperata Wed. cydoniat. pomat. aperitiva Zvvelffer. arcan. tartar. verum, Tinctura tartari, antimonii alcalica & tartariſata, Eſſent. ſalut. Dn. Præſid. balſam. copaiv. ocul. populi, Magneſia rubra metallica, croci martis aperitivi, antimon. martial. cachect. Salia media, tartar. vitriolat. tartariſat. cryſtal. & cremor tartar. & fixa, ex herbis per incinerationem parata. Abſorbent inſimul pulveres, ex uſtis & calcinatis parati, uti v. gr. ſunt pulvis abſorb. Wedel. e chelis cancror. C. C. & ebur. uſt. conch. calcinat. unicorn. foſſil. Educunt & evacuant purgantia, ut pilulæ purgant. Dn. Præſid. Becheri, tartareæ Quercet. Wed. Schroeder. Bontii polychreſt. In infuſo, vel decocto, folia ſennæ, rhabarbar. mechoac. agaric. &c. cum cremor. tartari. In pulveris forma pulvis catholicus Michaelis, cerberus triceps, ſpec. diaſenn. rad. gialap. nigr. reſinos. rhabarbar. cum cryſtall. vel crem. tartar. 3.) *Maſticatoria*, quatenus copioſam excretionem ſalivæ efficiunt, ut radix pyrethr. cubeb. maſtich. &c. 5.) *Diluentia*, & *temperantia*, ſerumque blandum inducentia. Talia ſunt decocta, uti decoct. hord. c.

C. C.

C. C. & rad. ſcorzon. avenac. & compoſita ex radic. bardan. cichor. chin. fœnicul. gramin. glycyrrhiz. ononyd. polypod. parreir. brav. ninzig, ſaſſaparill. ſcorzon. valerian. &c. Hb. agrim. beton. euphras. hep. nob. hed. terreſt. coſt. meliſſ. ſcabios. veron. virg. aur. Fl. acac. ſcabios. &c. Lign. ſaſſafr. ſanct. Sem. aniſ. fœnic. Cort. citr. aurant. Serum lactis dulce. Infuſa ex rad. helen. trifol. fibr. gentian. plantag. hb. ſcord. card. bened. chamædr. verben. tertianar. ſummit. cent. min. fumar. cuſcut. lign. colubr. cort. chin. &c. In ophthalmia chronica, & recurrente, etiam egregium præſtant auxilium aquæ medicatæ minerales, acidulæ & thermæ.

Th. XXII.

Scorbuto præſente, cum ſupra dictis medicamentis, in uſum vocanda veniunt ſimul antiſcorbutica dicta, ut Eſſ. cochlear. fumar. ſcord. ſerpentar. virginian. lumbricor. viperar. amar. Elix. p. p. antiſcorbut. &c. martialia, antimoniata, immo mercurialia. Si lues venerea, vel morbus venereus, producit ophthalmiam, adhibenda ſunt antivenerea, ſanguinem purificantia, evacuantia, bezoardica, purgantia, balſamica & antiputredinoſa. Purgantibus miſceri ſolet mercurius dulcis, rite præparatus, debita quantitate; pulveribus abſorbentibus, & bezoardicis, martialia, cinnabaris nativa, vel antimonii, vel, horum loco, æthiops mineralis. Commendat hunc Dn. CARL de SAINT YVES, in Tract. de *Morb. ocul.* in ophthalmiis ſeroſis, cum ſcrophulis, pag. 194. Exhibet nempe per trium dierum ſpatium gr. XXX. & ita XC. quibus adhibitis, quarto die dat purgans, & ita pergit usque ad reſtitutionem. Si in variolis ophthalmia præſens eſt, proficua ſunt remedia bezoardica media, & fixa, cinnabarina, temperantia, & balſamica. Inprimis au-

tem omni ſtudio declinanda eſt palpebrarum occluſio, ne materia viſcida ſtagnationem ſubeat. Ideo applicanda ſunt, quæ docet B. WEDELIVS, in Tract. de *Morbis infantum*, pag. 145. *Pro oculis tutandis, vulgatum, ſed Dioſcorideum jam remedium, eſt crocus, cum lacte humano palpebris illitus; aperiendis vero occluſis, lac ſolum, vel ophthalmicum etiam ex ſolo magiſterio ſacchari ſaturni, cum aqua roſarum, vel ſine, vel cum aliis.* His cum linteaminibus duplicatis applicatis, humor viſcidus reſolvitur, & acrimonia temperatur. In affectibus catarrhalibus adhibentur anticatarrhalia, & pectoralia, ſuccinata, myrrhata, Elix. pectoral. ſpirit. ſal. ammoniac, aniſat. vel fœniculat. Eſſ. lign. pulveres balſamic. bezoard. & temperant. decocta pectoralia ex rad. glycyrrhiz. cichor. fœnic. polypod. ſquill. ppt. hb. botryos Mexican. bellid. coſt. pulmonar. ſcabios. veronic. fl. acac. bellid. ſcabios. ſem. aniſ. fœnic. ſiliq. dulc. Si vomitus gravior induxit dictum malum, ille ſiſtendus per antemetica, carminativa, theriacalia, extract. theriacal. electuar. diaſcord. Fracaſt. Eſſ. anodyn. theriacal. aromat. Balſ. Vit. Q. E. aromat. liquor. anodyn. mineral. nec externe in regione ventriculi applicata balſama ſtomachica, emplaſtra, ſacculi, ex plantis nervinis compoſiti, effectum denegabunt. Præſente eryſipelate faciei, cum ophthalmia, illa non repellenda, ſed internis bezoard. med. & fix. balſamicis, & reſolventibus tractanda. Vid. ſub Ill. Dn. PRAESIDE à Dn. D. GIESLERO habitam Diſſert. de *Repellentium uſu damnoſo*. Externe autem adhiberi debent pulveres ad eryſipelas, ex amyl. ſulph. lycopod. pulv. fl. ſambuc. farin. fabar. lupin. orabi, ceruſſ. min. litharg. pompхol. croc. myrrh. & tantill. camph. ſuffitus ex G. anim. tacamah. ſtorac. calam. elem. oliban. thur. ſuccin. fl. roſ. lavend. &c. Oculis ipſis affectis, ſacculi ſicci, ex cephalicis plantis concinnati. In dyſenteria bezoardica, balſamica theriacalia, & alia, in hoc malo proficua. Si a contagio ophthalmia orta, illud examinandum, & contra miaſma conceptum curatio dirigenda. Dolori capitis, & vigiliis, nimis urgentibus, occurritur opiatis, reliquis medicamentis parva doſi miſcendis, non neglectis externis linimentis cephalicis, & epithematibus nervinis.

Th. XXIII.

Corpora, externe in oculis eroſionem, & inflammationem præſtantia, quantum fieri poteſt, cito ſunt removenda. Hoc fit, ſi palpebris diductis, immittitur perla, vel ſemen quoddam vegetabile rotundum, politum & ſplendens, quæ efficiunt majorem lacrymarum effluxum, cum quo ſæpe corpora peregrina auferuntur; vel ſi oculi bulbus ſubtili linteamine, aqua ophthalmica madefacto, abſtergitur;

tur; vel si abluitur aqua simplici, vel ophthalmica. Quando autem dicta corpuscula firmiter inhærent, folsella caute eximenda & extrahenda sunt. Vulnusculis dein applicanda collyria, & mucilagines.

Th. XXIV.

Externe in usum vocanda, cum egregio emolumento, quæ resolvunt, discutiunt, & demulcent. Hujus commatis sunt 1) albumen ovi conquassatum, cum aqua rosarum, vel per se, vel, ex nonnullorum sententia, cum pauxillo aluminis, humor vitreus animalium, mucilago ex semine cydonior. plantag. psyllii, quæ cum aquis ophthalmicis contunduntur, mucilago exprimitur, tepefactaque, cum linteamine, applicatur. Hæc mucilago debet recens esse, non acida, aut corrupta, quod sæpe contingit, si majori copia paretur, quam ut intra spatium unius, vel duorum dierum consumi possit, aut non in loco frigido conservetur. Quæ etiam valent de collyriis. 2) Collyria ex aquis destillatis, prius filtratis, & ita ab oleo liberalis, ut chelidon. maj. calcatrip. euphras. sigill. Salom. solan. rosar. fl. cyan. &c. His adduntur absorbentia, ut tut. ppt. pomphol. antimon. diaph. mater perl. resolvendi & mundificandi fine elix. p. p. fine acido, aloe, mel rosar. tantill, sacchar. saturn. vel magister. sacchar. saturn. Tale collyrium, secundum regulas præscriptionis formularum compositum, prius tepefactum; cum linteaminibus multiplicatis adhibetur. 3.) Demulcet & dolorem compescit, insimulque in tuberculis tunicæ adnatæ, & palpebrarum, suppurationem promovet cataplasma ex pomis dulc. sub cineribus coctis, & pulpæ, per setaceum trajectæ, addendo quid de saccharo saturni, croc. & camph. In ophthalmia spuria demulcendi & mundificandi fine commendantur ungventa, in cantho oculi majore illita, ut ungv. pomphol. & ophthalmicum MYNSICHTI, in *Armamentar. medic. chem.* pag. 487. communicatum, ut & pingvedo recens viperarum.

Th. XXV.

Si contusio, vel vulnus prægressum, collyriis, vel mucilaginibus applicatis superimponi debent sacculi ex plantis nervinis atque cephalicis, in vino cocti. In tota autem peripheria spiritum matrical. aquam Anhaltin. vel alium spiritum balsamicum adhibere conducit. Vulnus, palpebris inflictum, emplastro stiptico Crollii, vel alio hujus notæ, contrahendum, & consolidandum. Ita in ejusmodi casibus in praxi processimus, cum exoptato eventu. In ulceribus corneæ, & adnatæ remanentibus, Mr. DE SAINT YVES commendat solutionem Lapidis divini, quem descripsit in cit. Tract. pag. 192. Tubercu-

la, in palpebris, & tunicis externis, ab inflammatione inducta, & relicta, tractari debent mucilagine, vel cataplasmate ex pomis dulcibus, & si materia sponte non vult effluere, mediante acu, vel lanceola, apertio, & eductio instituenda, alias materia mutatur in steatomata, & efformat tumorem tunicatum, quæ tunicæ nisi in curatione perfecte destruantur, materia de novo iterum ibi colligitur. Vlcuscula, finita operatione, collyriis mundificanda, & consolidanda. Ill. Dn. PRAESES aliquando, me assistente, tres ejusmodi tumores, sive grandines, in palpebris aperuit, ex quibus diversa educebatur materia; ex uno purulenta; ex altero glutinosa pellucida, viridi colore tincta; ex tertia steatomatica. Omnes vero felicissime sunt curati. Quod si autem inflammatio gravissima internarum oculi partium facta, & suppuratio subsecuta sit, materia autem effluere non possit, oculus protuberet, & gangræna ipsa præsens observetur, extirpationem & excisionem totius oculi bulbi necessariam esse, docet Mr. DE SAINT YVES, Cap. XX. Tali enim modo vehementia symptomatum infringitur, & aeger ex mortis faucibus eripitur. Citatus auctor, pag. 145. ejusmodi operationis institutæ exemplum profert, & felicissimam curationem factam esse, affirmat. Si vascula debilia sint, robur illis conciliatur tum internis roborantibus, tum externis spirituosis, & nervinis, uti sunt Balsam. vit. Ill. Dn. Præs. & Hoffmann, palpebris modo applicata.

Th. XXVI.

Vti in omni curatione morborum, ita & in hujus diæta probe est observanda. Aer eligendus est temperatus, purus, liberque ab effluviis acrioribus, nocivisque fumis. Vitanda sunt omnia alimenta acria, & viscida, & potu nimis spirituoso, abstinendum, &, hujus loco, bibenda decocta laudata. Somnus conducit, &, ut accedat deligatio oculi necessaria est, ne a radiorum lucis agitatione instituta dolor augeatur. Quies omni modo svadenda. Animi pathemata declinanda. Excretiones solennes rite conservandæ. Alvus obstructa reseranda, & insensibilis perspiratio impedita, libera reddenda.

Iam ad finem perducta tractatione de ophthalmia, devotissimas DEO T. O. M. perago gratias, quod & huic labori clementi sua gratia adesse voluerit, faxit ille, ut in posterum omnes mei conatus & labores in divini ipsius nominis gloriam, & proximi commodum vergant. Si vero, B. L. non omnia, desiderio satisfacientia, invenies, voluntatem pro facto amplecteris, mihique veniam dabis benignam.

S. D. G.

In Præfat. pag. 4. l. 17. leg. speciminis.